


GLÓRIA in excélsis Deo et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. Cum Sancto ✠ Spíritu: in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac labia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ prophétæ cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

IUBE, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competéter annúntiem Evangélium suum. Amen.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem, descendit de cælis (*Hic genuflectitur*). Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Fílioque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatórum. Et exspécto resurrectionem mortuórum, et vitam ✠ ventúri sæculi. Amen.



SÚSCIPE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus óffero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerábilibus peccátis, et offensionibus, et neglegéntiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus christiánis vivis atque defúntis: ut mihi, et illis proficiat ad salútem in vitam ætérnam. Amen.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ maiestátis tuæ, pro nostra et totius mundi salúte, cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

IN spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, sanctificátor omnípotens ætérne Deus: et béne✠dic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

Accipiens in manibus Hostiam dicit:

QUI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene✠dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SÍMILI modo postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item tibi grátias agens, bene✠dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTÉRNAI TESTAMÉNTI,
MYSTÉRUIM FÍDEI, QUI PRO
VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.**

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

SÚSCIPE, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offérimus ob memóriam passiónis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Dómini nostri: et in honórem beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et ómnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Particulam Hostiæ imponit in Calicem, dicens secreto:

HÆC commíxtio, et consecrátio Córporis et Sanguinis Dómini nostri Jesu Christi, fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Ante sumptionem Sacramenti, inclinatus dicit:

DÓMINE Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ; eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre et coadunáre dignéris: Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

DÓMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: libera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sanguinem tuum ab ómnibus iniquitatibus meis et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te numquam separári permíttas: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

PERCÉPTIO Córporis tui, Dómine Jesu Christe, quod ego indignus súmere præsumo, non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad medélam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ante Benedictionem, inclinatus dicit:

PLÁCEAT tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábilis, mihique et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábilis. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.